



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

12. Diuitum æquè malis, ac nummis carent pauperes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

maxo aqua & panis delitiæ fuerunt ; & à Lacedæmonijs coquus
omnis iuris nigri perpetuo decreto proscriptus est.

Accedit ad hoc libertas animi, & vita curis vacua, quæ est
vel hinc pompæ aulicæ præferenda ; quia illa anxietate libera,
omnia reddit iucunda : hæc autem nunquam quiescit stimulis
atque intemperijs exagitatâ. Appono hîc talia expertum & con-
fidentem Augustinum. *Inhiabam, inquit, honoribus, lucris, coniu-
gio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficul-
tates, te proptio tantò magis, quanto minus sinebas mihi dulcescere, quod
non eras tu, &c. Et paulo infra: Quàm ergo miser eram! & quomodo
egisti, ut sentirem miseriam meam die illo, quò, cum pararem recitare
Imperatorî laudes, quibus plura mentirer, & mentienti faueretur ab
scientibus: easq; curas anhelaret cor meum, & cogitationum tabificarum
febris astuaret. Transiens per quendam vicin Mediolanensem, animadu-
verti pauperem mendicum, iam credo saturum iocantem atq; letantem:
& ingemui, & locutus sum cum amicis, qui mecum erant, multos dolo-
res insaniarum nostrarum: quia omnibus talibus conatibus nostris (qua-
libus tunc laborabam, sub stimulis, cupiditatum trahens infelicitatis
meæ sarcinam, & trahendo exaggerans) nihil vellemus aliud, nisi ad
securam lætitiâ peruenire, quo nos mendicus ille iam præcessisset, nun-
quam illuc fortè peruenturos.*

Ex his exemplis perspicuum est, quàm verum sit illud
adagium ; *Vallus vitem deceptus.* Vt enim valli, quibus vites alli-
gatæ fulciuntur nonnunquam radicibus actis ramis ac frondibus
suis vitem strangulant, aut prostrati palmitem secum trahunt ; sic
diuitiæ & rerum abundantia quibus opulenti nituntur, dum læti-
tias & voluptatem sperantur parituræ, plerumque curas gignunt,
& mille sollicitudinum procellas. Vbi enim plures curæ, quàm
apud opulentos ? vbi rarior quies, quàm apud opulentos ? vbi
somnia interruptior, quàm apud opulentos ? vbi ciborum maius
fastidium, quàm apud opulentos ? vbi frequentior nausea vini,
quàm apud opulentos, qui, postquam se *ad summum gutturem,*
vt Comicus ait, ingurgitarunt, omnia conuomunt ? vbi lites
acerbiores, quàm apud opulentos ? Et hæc vita non sit amara ?
cum tamen pauperes, nec tineam metuant, nec furem ; & totas
noctes securi dormiant, postquam mucido, tanquam Deorum
cibo, & limpida, tanquam nectare, se se suauissimè refecerunt.
Videte igitur, quàm sit *dulcis & rectus Dominus : ys,* qui sunt sine

XI.

S. Augustin.
l. 6. Confessi.
cap. 6.


XII.

Psal. 24. 8.

solatio auri atq; argenti, *dulci*: qui autem spem in auro incertam
 Jerem. 2. 19. & sollicitam habent, *rectus*. Dispiciate ergo, quàm *amarum sit, relin-*
quere Dominum Deum, ac fodere sibi cisternas dissipatas. Duo enim,
 Jerem 2. 13. ait, *mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aqua viua, &*
foderunt sibi cisternas dissipatas, que continere non valent aquas.

CAPVT XX.

Non solum Religiosos & peculiare Dei seruos, sed & se-
culares prodigiosè curatos & pastos.

- I.  E quis autem existimet, Prophetis tantum, atque
 Apostolis, virisque Eremitis, & Religiosis hanc
 à Deo curam impendi, supererunt & rationes, &
 præter ea, quæ de Lydwina diximus, aliisque,
 alia exempla, quæ demonstrant, hanc pater-
 nam filiorum alendorum prouidentiam, in alios quoque fuisse
 corruatam. *In præmissis veritatis nemo dubitet, inquit D. Hierony-*
 S. Hieron. in mus. *Sit homo, qui esse debet, & mox addentur ei omnia, propter quem*
 c. 6. Matth. *facta sunt omnia.* Quidquid est in hoc terrarum orbe, hominis
 causâ, conditum est. Nihil igitur se hominis vtilitati subducat,
 nisi ille se Dei obsequio subducatur. Igitur si homo ad eam, quam
 Deo debet, seruitutem redeat, iure quodam suo, etiam cetera,
 tanquam sua, sibi que debita recuperabit, siue religiosus is sit, siue
 eommuni hominum lege, extra omnem religiosum ordinem, vi-
 uat. Siquidem generali prouidentia Deus omnibus consulit; pe-
 culiari verò filiis suis. Quo quis enim magis filij nomine dignus
 est, eò magis eum curare vniuersi parens debet.
- II. Quòd si Deus etiam lilijs, & passeribus, & capillis capitis
 intendit, prouidentiamque præstat; quòd si solem suum oriri fa-
 cit etiam super iniustos; quantò magis iustis omnia necessaria
 prouidebit? Illud quidem fatendum est, sanctiorem quemque,
 ab omni cura temporali impensius mentem auellere, vt eam to-
 tam possit impendere Deo. Quare sicut ille solum Deum curat,
 ita obligat vicissim Deum, vt illum ita curet, quasi solum curet.
 Non negligit tanta bonitas eos, qui se totos in illam proiecerunt.
 Itaque magis tales curantur, quàm si se ipsos curarent; & maio-
 rem eo-